

a quibus Mentis alæ deprimebantur, soluta est: U jam velut per visionem frui recondita Beatitudine. Paulo vero postea, quum cognatam Carnem receperit, tum demum eam quoque ad Gloriæ Cælestis Hæreditatem secum admitturam; U quemadmodum ob naturæ conjunctionem ærumnarum ipsius participis fuerat, sic etiam iocunditates suas cum ipsa communicaturam &c. Quanquam in his sabobscrum aliquid occurrat ob aliquot vocum uulgarium, quæ quid Nazianzeno significarint, minime liquet; attamen vix dubitari potest, quin & heic mirabilis Beatitudo designetur, Sanctorum Animabus hinc solutis concessa in Coelis. Neque enim patientur reliqua ex hac ipsa Oratione, atque ex aliis superius adducta, ut aliter interpretemur. Heic ait, Animas Confestim accedere ad Dominum: supra quoque dixit non semel, eas Adstare divinæ Trinitati. Rursus vero ipse in hac eadem Oratione x. scribit: Apostolus Disscessum a Corpore, Præsentiam apud Deum esse affirmat; vitam autem corpoream, ut peregrinationem deplorat; atque ideo quamprimum Dissolvi cupit. Et posteaquam dixit, jam Cæsarium magno illi Regi adstare, atque illi inc emicante Lumine impleri, e vestigio addit: Cujus exiguo Rivulo heic suscepto (quantum scilicet in speculis U ænigmati adumbrare U conspicari possumus) utinam ad ipsam Fontem postea perveniamus, pura mente, puram Veritatem intuentes, atque hanc laboris in virtutis studio exhausti mercedem inveniamus, ut perfectius illic Summi Boni consortio U contemplatione (decepti) fruamur; quem quidem sacræ nostræ discipline finem tum Libri, tum Theologiæ laude præstantes, esse profitentur. In hac vita Rivulos tantum sperare possumus; in altera Fontem ipsum. Neque Justis tanta Felicitas usque ad Resurrectionem differenda est: Supra vidisti, Gorgonium Nazianzeni ipsius sororem, post degustatos in terra Divinitatis Rivulos, sublatam e vivis, ad Fontem ipsum jam pervenisse. Relege ejus verba. Et hæc quidem magni Nazianzeni mens, cui quum se adversarium prædiderit Burnetus, Lectores mecum Burneto ipsi obijciant velim, quæ Rufinus in Prologo ad Libros ejusdem Nazianzeni a se conversos, paucis post ejus mortem annis scriptum reliquit: Solus est, inquit, Gregorius Theologus, de cujus fide ne dissidentes quidem, uti fieri solet, partes U studia disputare potuerint; sed id obtinuit apud Dominum U Ecclesias meriti, ut quicumque ausus fuerit doctrinæ ejus in aliquo refragari, ex hoc ipso, quia ipse sit magis Hæreticus, arguatur. Manifestum namque judicium est, non esse rectæ fidei hominem, qui in fide Gregorio non concordat.

CAPUT XXI.

Theodorus Abbas, Didymus Alexandrinus, Gaudensius Episcopus Brixianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Prudentius Hispanus, Amphilocheus Iconiensis, Epiphanius Constantiensis, Damasus Romanus Pontifex, & Hegesippus (cujus ætas exploratur) Cælorum Regnum Justis corporeo carere solutis conlatum restantur.

Præterea quid incomparabilis Græciæ Orator Sanctus Johannes Chrysostomus, U Sanctus Asterius Amasenus Episcopus, post Nazian-